

absida, supremam & infimam, quæ discernuntur, ut in Venere, per duas obseruationes, quarum primā habuit anno xix. Adriani, in di-
lculo diei xv. mensis Athyr, dum Solis locus medius esset in part. CLXXXII. scrup. XXXVIII. erat maxima ab eo distantia Mer-
curij matutina part. xix. scrup. III. Quoniam
locus apparenſ Mercurij erat in part. CXLIII
scrap. XXXV. Ac eodem anno Adriani, qui e-
rat à nato Christo m. CCCV. sub crepusculo
xix. diei mensis Pachon secundum Ægypti
os, inuentus est Mercurius adminiculo instru-
mēti in XXVII. part. XLIII. scrup. fixarū sphē-
ræ, dum esset Sol medio motu in part. IIII.
scrap. XXVIII. Patuit maxima rursus uesper-
tina stellæ distantia, part. XXIII. scrap. XV. ac
priori maior. Vnde satis perspicuum erat, Mer-
curij apogaeū nō esse, nisi in part. CLXXXIII.
& trientis ferè ipso tempore, quod erat no-
tandum.

Quanta sit eccentricus Mercurij, & quam habeat
orbium symmetriam. Cap. XXVII.

Per quæ simul etiam demonstrantur centrorum di-
stantia & orbium magnitudines. Sit enim $\alpha\beta$, re-
cta linea per absidas Mercurij, α summam, & β infi-
mam transiens, & ipsa dimetiens magni circuli, cu-
ius centrum sit c , assumptoq; centro d , describatur orbis plane-
tæ. Excitentur ergo lineæ contingentes orbem αe , βf , & con-
nectantur de , df . Quoniam igitur in priori duarum obserua-
tionum præcedentium uisa erat maxima distantia matutina
part. xix. scrup. III. erat propterea cab angulus part. xix.
scrap. III. In altera uero consideratione uidebatur maxima ue-
spertina part. XXIII. cum quadrante. Igitur in utroq; triangulo
orthogonio abd , & bfd datorum angulorum, erunt etiam
T. ij laterum

